
HIEROGLYPHICVM LITTERAE O ALPHABETI Immaculatæ B.M.V. Conceptionis.



Ingredere O ſerpens, dum tibi clauſa patet.

CON LICENCIA, EN MADRID, POR PABLO DE VAL.

ILLVSTRISS[MO.]

REVERENDISSIMOQVE D.
D. Camillo Maximo, Cameræ Apoſtolicæ, Clerico, Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratia, Patriarchæ Hieroſolymitano, & Sanctiſsimi Domini Noſtri Alexandri, Diuina prouidentia Papæ Septimi, & Sanctæ Sedis in Hiſpaniarum Regnis cum poteſtate Legati, de Latere Nuncio, Iuriumque Cameræ Apoſtolicæ Collectori Generali, Domino ac Fautori ſuo Obſeruandiſsimo, Hanc Alphabeti Latini Deſcriptionem, pro Immaculata Beatæ Virginis Mariæ Conceptione probanda.

D.D.C.C.H.A.S.S.A.O.D.B.A.

Illuſtriſsimè Reuerendiſsimeque D.D.

Magne vir Italiæ, ſupplex Tibi dedicoſcriptum,
Alphabeti O magnum, Virginis omen habens.
Hæccine ſola fuit, Diuino in nomine munda,
Quaque Deus laudem, Virgoque nomen habet.
Hincque ſub auſpicio, Virgo Maria meretur,
Conſilioque Tuo, nunc venerare ſacra.
Hæc humilis Conceptio, ſic celebretur in Orbe,
Vt maneat votis, Immaculata pijs.

Ad Beneuol. Lector.

Hector, Ariſtoteles, lectores Socratis adſint,
Huc oculoſque animum referant, O mega videndam,
Quam Deus à cunctis, ſeruans ab origine culpis.
Littera nulla fuit, maculis vt necteret O, O,
Virginis O medium, magnum eſt mirabile mundum,
Quo neque quod mirum, nunc maius in orbe relucet.
Ergo agedum veneremur eam, nunc corde Rogando,
Virginis auctorem, natumque ex Virgine munda.
Procedens Spirituque Patris, nunc Trinus & Vnus,
Nos ſine labe ſinat, Sanctumque O mega videre.

AD MAIOREM DEI, GLORIAM, laudem, & honorem. Ipsiusque Deiparæ Virginis Mariæ puram, & Immaculatam Conceptionem venerandam in Orbe.

LITTERÆ In Alphabeto nostro Latino, habentur numero, viginti duæ, & vna Græca, y quasi ii duplicata, inter quas vocales quinque, vt *A*, *E*, *I*, *O*, *V*, quæ per se nullam significationem habent, modo & ordine scriptæ, transpositæ vero & iunctæ Sanctissimum nomen Dei Omnipotentis *I·E·O·V·A* significant, consonantes, mutæ, vel liquidæ sunt sequentes, siue scribantur charactere maiori, siue communi & minori, omnes ex aliqua parte sunt apertæ, vel non ita clausæ, quod admittant aliquam lineam, vel punctum extraneum cuiuscumque formæ, absque læsione, vel corruptione integritatis litteræ, vt patet in sequenti demonstratione punctorum. *B*, *C*, *D*, *F*, *G*, *H*, *K*, *L*, *M*, *N*, *P*, *Q*, *R*, *S*, *T*, *X*, *Z*, vel minori *a b c d e f g h i k l m n o p q r s t v u x y z*. Littera vero Z ab omnibus ante hac doctissimis, semiuocalis nuncupata est, quamque respectu positionis litterarum

in ſcriptione Zeta, ita eſſe, nemo dubitat, quia duas vocales in ſe comprehendit, atque cum ijs pronunciatur, igitur enim ſemiuocalem eſſe, vel nominari non probo, ſed potius mutam affirmo; quia Z non antecedit vocalis, ſed ſequitur, ergo muta. De Reliquis vero liquidis, mutis, alijſque dipthongis, Auctores Grammatici ſatis ample ſcripſerè, quos legere libet. Notaui quoque & animaduerti, nullam litteram in conſonantibus, mutis, vel liquidis, maiori vſui eſſe quam *E*, ſex enim mutæ prę cedunt eam, vt *Be, Ce, De, Ge, Pe, Te*, & Zeta quæ eſt ſeptima, quæ etiam Zete dici poſſet, ſex quoque Conſonantes & liquidæ ſequuntur eā, vt *eF, eL, eM, eN, eR, eS*, litteram vero *A*, præcedit *Ka* muta, & *Ha* nota aſpirationis; *I* vero ſequitur conſona vt *Ix* quaſi *ics, igs, iks, iqs*, & Græca ypſelon; *V* quoque antecedit *Qu* muta. Omnes igitur vocales non habent ſuas conſonantes, ſemiuocales, ſiue mutas, quomodo in Sanctiſsimo Nomine *IEOVA* obſeruaui, quod quinque vocales in ſe comprehendit, ſine quibus nemo loqui nec verbum ſcribere poteſt, ergo ſi hoc ita (Hic later anguis in herba, & mors in olla) Neceſſarium eſt & veriſsimum, vnam ex quinque, principium & magiſtram reliquarū eſſe, de quibus multa proferri, ac diſputari poſſet. Verſib⁹ vero ſedecim, Sanctiſsimi nominis *IEOVA* efficaciam & eſſentiā deſcripſi, ad quos prudentiores me remitto legendos, ac per

ſcru-

ſcrutandos, illoſque me alioſque ignorantes plura docere humillime rogo. Hiſce vero litteris inceptis, explicationem totalem, breuemque ſcopum ac metam attingēdam & percipiendam, ſecundum exiguum talentum, rudemque capacitatem meam monſtrare libenter operā dedi, ſicque in lucem humillime profero. *Scimus enim ac vere* credimus ſi Chriſtiani ſimus, vnum Deū in Tribus Perſonis, & vna eſſentia eſſe & adorari, qui omnia in omnibus creauit & fecit : *Atque quod etiam, ex omnibus omnia; ſibi reſeruauerit* ; ſic quoque nobis ſuam Diuinitatis omnipotētiam, *in litteris* verbis ſigniſque factis, explicare, denotare & ſignificare voluit, atque ex quinque vocalibus Sātiſsimi nominis ſui *IEOVA*, mediam, ſcilicet; litteram O, ſine macula, atque vllius connexionis conſonæ, ſemiuocali, vel mutæ : *Ab initio & ante ſæcula ſibi eligere, ac præſeruare voluit* ; ad recognoſcendum myſterium Diuinæ Maieſtatis ſuæ. Medium vero atque remedium ſalutis noſtræ fuit, verbi Diuini Incarnatio, & per Spiritum Sanctum in Immaculata *Virgine Conceptio puriſsima: Quæ ab initio & ante ſæcula creata fuit, & vſque ad futurum non deſinat*. Littera vero O vt conſtat, eſt media in Sanctiſsimo Nomine *IEOVA*, ad ſignificandum ſingulare myſterium gratiæ Virginis Mariæ, quia cum ſit inter quatuor litteras poſita, duaſque à parte ante ſe, duaſque poſt ſe habet, ſignat & ſignificat, quod Concep-

tio Virginis Mariæ inuiolata semper, & ab omni parte, gratia Dei munita, & præseruata permansit. Ideoque O clausa ex omni parte, quia æternitatem significat: sicque inde Beata virgo Maria dicere potest illud: *Ab initio & ante sæcula creata sum, & vsque ad futurum non desinam; id est in gratia Dei*. Quod Deus in *Genesi cap.* 3. valde bene obseruauit in maledictione serpētis. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius: ipsa conteret caput tuum & tu insidiaberis calcaneo.* Sed quæ nam est ipsa, nisi O Virginitatis Beatæ Mariæ, quæ ab æterno Patre, ab initio & ante sæcula, ab originali culpa & macula infectionis peccati superbiæ, cæterisque malignitatibus, præseruata & excepta fuit. Quod in littera O satis clare patet & obseruatum est. Quia de causa littera O in Sacra Scriptura multoties repetatur, totiesque ab Ecclesia Catholica, ante Natiuitatem Christi recitatur, vt O Adonai, O clauis Dauid, O Emmanuel. Facile colligere possumus, eam alijs litteris, ad aliquod bonum optandum præferri; sic quoque ob eandem causam Ecclesia Catholica festum Deiparæ Virginis Mariæ, vt Hispanice dicam: *La Fiesta de nuestra Señora de la O*, recte & vere celebrat: sicque forsan non sine mysterio Euangelistæ, Diuus Matthæus, lineā generationis Iosephi, descripsit ab Abrahamo. Diuus Lucas vero ab Adamo confecit per Iosephum, nulla facta mentione, de generatione, vel

Genealogia, B. V. Mariæ, ſed Ioſephi. Cum vero neminē adhuc litteræ *O*, vt demonſtratum eſt, conſonam, ſemiuocalem, mutam, lineam, vel punctum aliquod extraneum, adiunxiſſe reperi, manifeſte conſtat, ſingulare myſterium, in Deiparæ virginis Mariæ puriſsima Conceptione ſignificare & denotare: atque etiam *O* quoniã rotundo & orbiculari circulo ſcribitur, cui nihil adiungi nec minui nequit, ac reliquæ litteræ omnes ex aliqua parte ſunt apertæ, vel non omnino clauſæ, intra totam ſphæram, longitudinem, ac latitudinem litteræ, ita quod admittant aliquam lineam, vel punctum extraneum, vt in principio notaui, excepta littera *O*, quæ ita clauſa eſt ex omni parte & vndequaque perfecta, vt nullo modo poſsit admittere, lineam, vel punctum extraneum, ſine corruptione, vel deſtructione ipſius litteræ. Hoc ſignat & ſignificat, quod omnes Filij Adami, qui litteræ ſumus alphabeti naturæ humanæ, ad miſimus lineam Genealogiæ Adami, vel punctum ipſius primæuæ culpæ originalis, quæ in primo *puncto generationis* maculat animam noſtram; à qua excipitur Beata virgo Maria, ſignificata per litteram O, quæ ita perfecte clauſa fuit, à principio formationis ſuæ, vt nullius atramenti punctũ, vel lineã aliquam extrauagantem generationis admittere potuit. Neque mihi videtur in caſſum fore Eccleſiam Dei Spiritu Sancto illuſtratam in celebri illa antiphona, *Salue Re-*

gina, abſque ſingulari myſterio obſeruare & recitare, ter dicendo & clamando ad V. Mariam: *O clemens, ò pia, ò dulcis virgo Maria.* In triplici enim O triplex eius integritas deſignatur. Nam in Conceptionis ſuæ primo puncto à cũctis maculis præſeruata fuit, O clauſa, quod neq; culpa nec ſerpens ad ipſam ingreſſum vllum inuenire potuit, vti in primorum parentum deceptione peregit, in edendo Pomo, ipſis poſteriſque ipſorum, illam originalis culpæ maculam, infecit & reliquit, itaque illam, O virginitatis, ipſis à Deo in innocentia datam, praua concupiſcentia ſua fregerunt & interruperunt: Pomum vero rotundo & orbiculari circulo creſcit, & depingitur; & ſi quidquam ſphæricum, vel rotundum dici volumus, pomo adæquamus. Sic Deus valde bene, ipſis prohibuit, de ligno medij paradiſi comedere, quod lignum nil aliud fuit, niſi pomiferum illud litteræ O, ab initio & ante ſæcula, in Sanctiſsimo Nomine ſuo, id eſt Filio vnigenito, & Virgine Maria, alterum quaſi pomum virginitatis O, ab omni labe & cloaca ipſa, ex viri, & mulieris ſemine, eorumque carnali concupiſcentia & ſuperbia illata & exorta, in omni modo perfectam puram & incorruptã, ſibi reſeruatam & electam. Ad genus humanum liberandum, abluendum à noxis, & ſaluandum; per Incarnationem illius verbi Diuini, & Sancti Spiritus obumbratione, illam quoque O in virginitate ſua vndique clau-

ſam ſeruauit, quæ nullam admittere potuit læſionem ante partum, in Partu, & poſt partum. Denique in glorioſa Virginis aſſumptione, O quoque clauſa permanſit, quod nulla corruptio ſiue incineratio, in eam habuerit ingreſſum, ad putrefaciendam & corrumpendam illam. Igitur enim O quoniam omnia in ſe comprehendit, quæ ad Immaculatam Deiparæ Virginis Mariæ, Conceptionem, integritatem, & in corruptibilitatem pertinent, & omne ex Deo eſt, Deuſque in omnibus, omnia fuit, eſt, & permanebit, in ſæcula Benedictus Trinus & vnus. Aliȩ vero rationes, ac argumenta Philoſophica, ac Theologica huc referri poſsē, ad puritatē Cōceptionis probādam, ſed quia ſtudij mei non ſunt, neque profeſsionis; prudentiores, ac ſapientiores, paucis his à me humillime prolatis, contenti eſſe velint. Deumque laudare, Virginemque venerari ex toto corde rogo, atque ex animo voueo; omnia quæ bona ſunt, per gratiam Dei, Beatæque Virginis Mariæ interceſsionem, impetranda, atque in cœleſti gloria ſemper perfruenda, ſicque humillime concludo & offero cunctis:

O mihi, nuncque tibi, tribuetur & omnibus O O;
Viuere ſic Domino, quod nos in pace gubernet.

Verſus de Sanctiſsimo Nomine IEOVA contra Atheiſtam.

Quid tu Atheiſta doces? Gentemque errore ſeducis?
In Rerum natura Deum, ſtulte eſſe negaris?
Te terrent imbres, tonitrum, cur fulgura cœli,
Tuque times? neſcis; quænam natura parantur.
Ah quis erit modus, quo te conuincere poſsim,
Deprecor hiſce Deum, Trinumque vnumque potentem,
Quodque Atheo monſtret, naturæ rebus ineſſe,
Cunctorum Genitorem, qui veneratur in Orbe.
IEOVA te ſuperet, quod reſpondere nequibis.
Vocales demam, ſtudeas tunc acta probare,
Scriptis ſeu libris, aliud, niſi IEOVA deſit,
Et ſine quo tu ſectam, certificare valebis.
Ah ah nunc redeas, ac omnia falſa relinque,
Principiumque Deus poſuit, ſine fine gubernans,
IEOVA te vicit, cui te ſubmitte rogando,
Quodque tuum vitæ tempus, ſub lege reſeruet.

Chronographicum.

IesV ChrIſto, VIrgInI sIne Labe, & LeCtorI BeneVoLo,
ADrIanVs oIIenDICtVs BroChVsanVs agrIppInas serIo obtVLIt.